

boseth pertinebunt, providebuntque ipsi convenientem statum; insuper eius utique familia illis aletur. «Erant autem Sibae quindecim filii et viginti servi». Ex his inferas amplitudinem possessionum Miphiboseth collatarum, et familiae opulentiam. v. 11 «Dixitque Siba ad regem: Sicut iussisti, domine mi rex, servo tuo, sic facit seruos tuos. Et Miphiboseth comedet super mensam meam, quasi unus de filiis regis».

Cum Vulg. consonant Chald. et kethib חלד, sed suffixum evidenter falsum est, referret enim ad mensam Sibae, dum certe intelligitur mensa regis. Ergo praeferen-  
dum heri מנהל, mensam eius, i. e. David vel regis, ut recte illud explicant LXX et Syr. (Bucuet). Participium hebr. vertas comedebat, non comedet. Neque dicas cum Wellh., ita idem dicit quod v. 13. Non exacte idem: nam ibi narratur vir constanter Hierosolymis habitasse, hic constanter regiae mensae assidisse. Dein, num omnes omnino repetitiones a s. textu excluduntur? num, quae de Sibae familia v. 10 dicuntur, non preoccupant quadamneus v. 12 dicenda? cur v. 13 denuo (cf. v. 3) asser-  
tur Miphiboseth fuisse claudus?

v. 12, 13 recapitulatio quaedam sunt, statum domus Miphiboseth describens. Cf. locos parallelos 1 Reg. 14, 49 sqq., ubi uxor, liberi et proceres familiae Saul recensentur; 2 Reg. 4, 2, 4, ubi familia Ishboseth recensetur; et, quoad David, 3, 1 sqq. et 5, 13 sqq. v. 12 «Habebat au-  
tem Miphiboseth filium parvulum nomine Micha; omnis vero»—melius et omnis—«cognatio dominus Sibae serriebat Miphiboseth», v. 13 «Porro Miphiboseth habitabat in Ierusalem, quia de mensa regis iugiter vesce-  
batur; et erat claudus utroque pede». Non tam intelligitur claudicatio, quae oculis cerni possit quaque semper utroque pede fit, sed interna pedum debilitas, quae neutrō firmiter niti poterat, sed baculis incidere cogebatur. Describitur hinc Miphibosethi opulenta, illinc omnimoda impotentia nocendi Davidi, sive propriis viribus, sive proliis, quae unico equo parvulo filio constaret.

c. Bellum Ammoniticum 2 Reg. 10, 1-49.

ARG. — Hoc bellum seorsim narratur, quod fuerit gravissimum omnium; quod, exceptis bellis Philistaeis et Moabitico, et fortasse Idu-  
maeo, fuerit causa reliquorum, unde magno studio ostendit auctor, illud absque Davidis culpa ortum esse. Pro auctore libri Samuelis hoc bellum etiam ideo maioris momenti erat, quod occasio fuerit peccati David, illi-  
co ab ipso narrandi; haec autem ratio non movebat auctorem fasto-  
rum, a quo hacc narratio primitus conscripta, atque inde in librum Samuelis transumpta fuit. v. 1-5 belli occasio exponitur, v. 6-14 descri-

2 REG. 10, 1-4

337

bitur prima expeditio contra Syros et Ammonitas, v. 15-19 altera expedi-  
tio contra solos Syros suscepta, dum tertiae expeditioni contra Ammoni-  
tas 11, 1 et 12, 26 sqq. narratio peccati David inseritur.

Cap. X v. 1 «Factum est autem post haec, ut moreretur rex filiorum Ammon, et regnavit Hanon, filius eius, pro eo». Post haec non necessario exprimit successorem temporis, cf. 8, 1. Rex ille vocabatur Naas (v. 2), eratque idem, qui 1 Reg. 11 a Saule narrabatur devictus. v. 2 «Dixitque David: faciam misericordiam cum Hanon, filio Naas, sicut fecit pater eius mecum misericordiam». Amice agam cum Hanon. Quam gratiam Naas Davidi exhibuerit, ignoramus; videtur Naas, similiter atque reges Moab (1 Reg. 22, 3 sq.) et Geth (1 Reg. 27), Davide fugitum tamquam inimicum Saulis considerasse et adiuvisse. Ceterum versus ostendit, hoc primum exstisit bellum Davidem inter et Ammonitas, neque fuisse posterius illi cap. 8 narrato, sed potius idem atque illud; nam, cum ex 12, 29 sqq. pateat, hoc nostro bello penitus contritos esse Ammonitas, et ex 10, 19 post hoc bellum Syros iam non auxilio venisse Ammonitas, ergo nostrum bellum est simul primum et ultimum a Davide contra Ammonitas susceptum, ideoque cum cap. 8 narrato identicum. «Misit ergo David, consolans eum per servos suos super patris interitu». Eiusmodi legationes, sive solatii sive gratulationis causa, inter reges amicos obtinebant et obtinunt: cf. 8, 10 legationem Thou, 3 Reg. 3, 1 Hirami legationem ad Salomonem regno potum, 4 Reg. 20, 12 legationem Merodach Baladan ad Ezechiam morbo restitutum. «Cum autem venissent servi David in terram filiorum Ammon», v. 3 «dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon dominum suum: Putas, quod propter honorem patris tui miserit David ad te consolatores? et non ideo, ut investigaret et exploraret civitatem, et everteret eam, misit David servos suos ad te?» Benevolentia in Davideum evanerat, eo in regem ab universo Israele assumpto; dein prima illa erat regia Hebreorum legatio, in urbem Rabbath Ammon adventans, et utique legati, licet non explorandi causa a Davide mitterentur, multa erant observaturi suoque regi nuntiaturi. Potuit insuper Ammonitarum suspicio excitari inimicitius, quae post pris-  
timam amicitiam Davidem inter et Moabitas exarserant, cf. 8, 2 (Keil): si tamen bellum Ammoniticum prius fuit Moabitico.—Hebr.: Num homorat David patrem tuum in oculis tuis, quia mittit ad te consolatores? Num tibi persuasit, se honorare patrem tuum? Quisquis penetrantes habet oculos, perspicere profecto debet, Davideum sincere tecum non agere. Ad sagacitatem regis provocant.

v. 4 «Tulit itaque Hanon servos David, rasitique dimidiam partem barbae eorum, et praescidit vestes eorum medias usque ad nates, et di-

*misiit eos* ». Radebantur integrae barbae in signum poenitentiae et luctus : Is. 13, 2 ; Ier. 48, 37 ; et Ez. 7, 18. Dimidiae barbae, sc. in alterutra gena, abrasio summa erat ignominia : quippe barba inter praecipua viri ornamenta reputabatur ; cf. Is. 7, 20, ubi barba et crinibus opulentia regionis figuratur. Plura ex gentium orientalium, maxime Arabum, historia congerit *Calm.*, ut ostendat, quam studiose barba nutritur, quam ignominiose radatur. — Vester scidit *medias*, non usque ad dimidium (*Chald.*), sed in medio, a parte sc. posteriore, a pedibus sursum usque ad renes, « ut turpitude et nuditas eorum in conspectu omnium appareret, et circumcisio derideretur » (*Menoch.*). Vester intellige festivas, talares, quibus induiti legati regem adierant. Id genus publicae nuditatis probossum erat et in se, et magis etiam in legatis ; proclamabat illud, eos non honore habendos esse tamquam legatos, sed tamquam detectos exploratores ludibrio. — נָתַתְשׁ *nates* etiam habetur Is. 20, 4, unde videtur eadem significatio confirmari. Urum ἄποξ λεγέμανον 1 Par. 19, 4 sic euphemismus (*Then.*), an scriptoris mendum, definit nequit. v. 5 « Quod cum nuntiatum esset David, misit in occursum eorum, erant enim viri confusi turpiter valde ; et mandavit eis David : Manete in Iericho, donec crescat barba vestra, et tunc revertimini ». Nuntiatum est populari rumore, aut nuntiis a legatis ad eum praemissis. In Iericho manere iussi sunt, fortasse quod in ea civitate regis placita expectantes substiterant, vel quod ea urbs propius abesset (*Sanct.*), et commodior videbatur. *Then.* iussi rationem in eo cernit, quod virorum aspectus Davidem moerore et ignominia affecisset : potius dic, eum virorum confusionis parcer voluisse.

Sequitur iam v. 6-14 prima contra Ammonitas et Syros expeditio. v. 6 « Videntes autem filii Ammon, quod iniuriam fecissent David, miserunt et conductorunt mercede Syrum Rohob et Syrum Soba, virginis millia pedium, et a rege Maacha mille viros, et ob Istob duodecim millia virorum ». Rohob nomen est a dynastia petutum : בֶּן־רֹהֶב, *domus Rohob*. Ex documentis assyriis constat, appellationes cum בֶּן־virum compositas desumptas esse ex nomine famosioris eiusdem eius nationis regis. Sic regnum Israel vocabatur « domus Amri ». Rohob ex Num. 13, 22 (21) erat in via Emath, a meridie ; ex Iud. 18, 28, ubi *Hebr.* rursus addit נִזְׁעָן urbs Lais, a Danitis occupata, erat in regione Rohob. Loco *Syrus domus Rohob* 1 Par. scribit *Aram Naharaim* i. e. Mesopotamiam. Si id revera referatur ad Rohob, nomen Aram Naharaim longelatiore sensu usurpatum, atque secus fieri consuevit. Sed nomen non sunt necessario identica : 1 Par. 19, 6 omittuntur numeralia, omittuntur Istob et Rohob ; sequenti versu summa numeralium suppletur, et Rohob, si textum corrigas, recensetur. Ergo 1 Par. 19, 6 per Aram Naharaim nequa-

quam Rohob exprimitur, quod potius sub Soba includitur, quo cum etiam h. l. copulatur ; sed verius ea Mesopotamiae pars, quam sibi subiecerat Adarezer, filius Rohob, rex Soba, cf. 8, 3 ; 10, 16. — *Soba*. Illud etiam ex nostro textu eluet, non idem esse Beth Rohob, quod Soba. Videntur regna designari diversa, regnumque Soba fuisse subactum ab Adarezer, filio Rohob 8, 3. Regnum tamen Soba omnino videtur principalius fuisse, cum Adarezer semper rex Soba appelletur. — *Maacha*, *Vulg.* etiam Machati, regnum ad septentrionem terrae sanctae situm, atque intra eiusdem limites los. 13, 13, prope Gessuri (cf. dicta ad 3, 3) : cf. 20, 13 ; 3 Reg. 15, 20 ; 4 Reg. 15, 29 ; Deut. 3, 14 ; Ios. 12, 5. Nomen videtur nactum esse a Maacha, filio Nachor, fratri Abrahæ, Gen. 22, 24 ; unde nomen regni proprium erat Beth Maacha, cf. 20, 15 ; 3 Reg. 15, 20 ; 4 Reg. 15, 29. — *Istob*. Ita omnes versiones et *Ios.*, idque recte legi ostendit v. 8. Solus *Hebr.* separat in duas voces, *viri Tob*. Unde *Vatabl.* alique putavere intelligi regionem Tob, de qua Iud. 11, 3, 5, et quam dicunt haud longe a regione Ammonitarum abfuisse. Verum tam Tob quam Istob sunt ἄποξ λεγέμανον, et eadem esse gratuito assurterunt. Aliunde, cum vox שׁׁׂאַב in sententia recurrat, facilime potuit etiam בְּנֵי שׁׁׂאַב separari in אִישׁ בְּנֵי. — Inserit h. l. nostræ narrationi sequentem versum 1 Par. 19, 7 : « Qui cum venissent, castramenti sunt e regione Medaba. Filii quoque Ammon, congregati de urbibus suis, venerunt ad bellum ». Medaba, urbs Ammonitarum, quondam Ruthenitis tributa Ios. 13, 9, 16. Castrametati sunt autem e regione, κατένευτη. Medabæ, quæ quatuor horarum itinere a Rabbath distabat, urbe Ammonitarum principi ideoque munitionissima ; non prope Medabam, sed potius prope Rabbath, ubi ex nostro contextu patet proclivum locum habuisse. Ammonitas locum inter ipsos et Rabbath obtinebant, atque sic ipsi e regione erant Medabæ.

LXX. *Videntes, quod ignominia affecti essent cum Davide* (corrigitur, quem admiserunt errorum punctandi בְּנֵי בְּנֵי) ; *Chald. quod provocati essent contra David* ; *Vulg. Syr. quod iniuriam fecissent David*. Quonodo intelligendum sit niphah, docet 1 Par. 19, 6 substituens lithpaed : *quod se excesso, foerentes fecissent penes David*. — *Conducerunt mercede* : 1 Par. addit, id factum esse mille talentis argenti. — *Viginti millia pedium* : hunc numerum 1 Par. addens milibus duodecim de Istob, exhibet numerum totalem *triginta duo millia*. Addit quidem *curruum*, at incredibilis plane est is curruum numerus, cf. dicta ad 1 Reg. 13, 5 ; et, cum numeralia ceteroquin cum nostro textu concordent, puto בְּנֵי curru scriptum esse mendoso pro רֹהֶב vel בְּנֵי, cum propter assonantiam, tum quod illa vox 1 Par. 19, 6 iam recurret ; ergo : Conducerunt triginta duo millia de Rohob. Poterant duodecim milia de Istob hoc modo adscribi Rohob, quod Istob tributarum vel certe federat fuerint regis Rohob et Soba, et hinc potius sub appellatione federati principalis subsumi. Sed cur iidem Rohob dicuntur, qui modo Mesopotamia et Soba ? Respondeo, v. 6 recenseri regiones, unde maxime milites desumpti sint, quae erant Mesopotamia et Soba ; v. 7

exhiberi nomen militare nationis, quod erat Rohob vel potius Beth Rohob, Adarezer enim, filius Rohob, subiecerat sibi Soba et Mesopotamiam. — Pro *mille viros* 1 Par. 19,7 indebetim punit *cum populo eius*. Miratur Wellh., regi Maachu mille tantum viros attribui ideoque, expunctis duabus vocibus, legit: « et a rege Maacha et ab Istob duodecim milia virorum ». Sed Maacham et Istob non posse sic commisceri, evincit 1 Par., ubi daodecim milia virorum de Istob viris Rohob adduntur, viris Maacha seorsim recensuit. Dicamus ergo, vel regnum Maacha tam exiguum fuisse, ut plus mille bellatores non suppeterent, vel Ammonitas defecisse pecuniam, qua plus mille viri illinc conducentur.

v. 7 « *Quod cum audisset David, misit Ioab et omnem exercitum bellatorum* ». Ita etiam construxere Chald. Syr.; LXX *omnem exercitum*, robustos, seu cum Bertheau « *omnem exercitum*, i. e. Gibborim » : sed cohors Gibborim non erat totus exercitus. Then. « *omnem exercitum* et Gibborim », sed copula non est in texto. Planius *omnem cohortem Gibborim*. Per se intelligitur David misisse exercitum : sed, quod de bello difficillimo ageretur, explicite affirmatur misisse ducem lectissimum ipsamque cohortem praeatorianam totam, nulla eius parte reservata. v. 8 « *Egressi sunt ergo filii Ammon, et direxerunt aciem ante ipsum introitum portae ; Syrus autem Soba et Rohob et Istob et Maacha scorsum erant in campo* », sc. urbis Rabbath.

Pro *בְּחַד שָׁעָר* habeatur 1 Par. 19,7, *בְּחַד שָׁעָר*, *iuxta portam civitatis*. Quod Then. corrigit, priorem expressionem declarans unice rectam, quod ea solennis sit, cf. 11,23; 4 Reg. 7, 3; 10,8; 1d. 9, 35. 40. 44. Sed 2 Reg. 11,23 legebant. Vulg. Syr. *בְּחַד שָׁעָר*; item 4 Reg. 7, 3 LXX; 1d. 9, 35. 44 habebut expressio complexa *בְּחַד שָׁעָר* ; *בְּחַד שָׁעָר*. Ergo alteram rationem solennem esse non constat. Facilius quidem potius *שָׁעָר* mutari in *שָׁעָר*, vel vice versa. Sed non est necesse mendum in alterato sacro auctore supponere, qui sacri auctores non tenebantur, quibus utebantur, documenta ad literam excrivere.

v. 9 « *Videns igitur Ioab, quod praeparatum esset adversus se proelium et ex adverso et post tergum, elegit ex omnibus electis Israel, et instruxit aciem contra Syrum* ». *בְּחַד* primitus utique *electum* significat (Chald. Syr.); quodsi vero Ioab ipsis electis delectum adhibuit, satis exiguum manum contra tantum Syrorum numerum videtur eduxisse. LXX praetulerunt derivatam vocis significationem *iuvenis*. v. 10 « *Reliquam autem partem populi tradidit Abisai fratri suo, qui direxit aciem adversus filios Ammon* ». v. 11 « *Et ait Ioab : Si praevaluerint adversum Syri, eris mihi in adiutorio : si autem filii Ammon praevaluerint adversum te, auxiliabor tibi* ». Ex hoc v. concludit Keil, Ioab aggressum fuisse Syros, Abisai vero instructa contra Ammonitas acie substitutum pugnaque primum temperaturum, nisi ipsi cum adorirentur : ast nihil in sacro texto innuit, Abisai non ipsum etiam Ammonitas adortum fuisse. v. 12 « *Esto vir fortis, et pugnemus pro populo nostro et civitate Dei nostri : Dominus autem faciet, quod bonum est in conspectu*

*suo* ». Vulg. ad 4 Par. 19,3 « *Confortare et agamus viriliter* ». Pro *civitate Dei nostri* alii omnes *civitatibus*, et 4 Par. ipsa etiam *Vulg.* Civitas Ierusalem, ante exstructum templum, non tam sacra Hebraicis habebatur. v. 13 « *Initi itaque Ioab et populus, qui erat cum eo, certamen contra Syros, qui statim* » (voce ignorantis reliqui textus, item ad 1 Par. Vulgata) « *fugerunt a facie eius* ». v. 14 « *Filii autem Ammon videntes, quia fugissent Syri, fugerunt et ipsi a facie Abisai, et ingressi sunt civitatem ; reversusque est Ioab a filiis Ammon, et venit Ierusalem* ». Then.: quia tempus anni effluxerat, quo commode urbs Ammonitarum obsidione cingi poterat.

v. 15 « *Videntes igitur Syri, quoniam corruebant coram Israel, congregati sunt pariter* ». v. 16 « *Misitque Adarezer et eduxit Syros, qui erant trans fluvium, et adduxit eorum exercitum. Sobach autem, magister militiae Adarezer, erat princeps eorum* ». Reguli tributariorum sub duce regni Soba militabant; ubi *Ios.*, nescio quem computum secutus, peditem numerat octoginta, equitum decem milia. — His versibus incepit narratio secundae expeditionis, contra Syros susceptae.

*Corruerunt*: exactius idem verbum 1 Par. Vulg. verit. *caesi essent*. — *Pariter*: *תִּרְבֹּא* omne genus simulaneatis exprimere potest: universi, eodem loco (*First*), eodem tempore. Praeferendum videtur universi, ad quod facile revocatur *Vulg. pariter*, Chald. Syr. *שָׁעַט עֲנָשָׂה*, ad unum omnes. Syri, accepta clade haud deterriti, ad unum omnes convenire, « illi ipsi, qui ante fugerant, ignavia notam abstergerent volentes fortier pugnando» (*Menoch.*); dein, suis numeris nequam fisi, socios ex Mesopotamia advocaverunt. — *Fluris* intelligitur Euphrates (*Chald.*). EXX 265 πατέρων γλαύκων : quae lectio orta est ex perpar. h. l. ingestu γλάυκη γλώ, correspondente hebreo זְרֻבָּבֶל, (*Bertheau*). Hinc *Ios.* fabricatus est « Chalamam, Syrorum Transneptuniatum regem ». — *Et adduxit eorum exercitum*. Vulg. punctatab *וְיִמְלֹךְ*; Symm. *וְיִמְלֹךְ*, et adluderunt eorum exercitum. Sed ali omnes *וְיִמְלֹךְ*, *venerunque in Helam*, qui locus v. 17 cum *וְ* paragogico, et in pausa *וְהַאֲבָהָה* scribitur, Chaldeo et Syro in nitrope versus scribentibus eadem ratione. 1 Par. 19,16 hoc membrum omittunt, non tamen a Syro, et v. 17 habetur *בְּחַד*, quod potuit ex *הַאֲבָהָה* ducere eo facilis, quod immediate sequatur alterum *אַלְדָּם*. Nota tandem, Ag. legesse *בְּחַד שָׁעָר*, *בְּחַד שָׁעָר*, addita praepositione; quam fortasse etiam legebant LXX (Vatic.). Chald. Syr. : quae lectio si genuina esset, iam efficeret, *וְ* omnino esse nomen loci.

v. 17 « *Quod cum nuntiatum esset David, contraxit omnem Israelem, et transvul Jordanem, venitque in Helam ; et direxerunt aciem Syri ex adverso David, et pugnauerunt contra eum* ». Hac vice ipse David profectus est ad bellum. De situ Helam id solum novimus, fuisse trans Jordandom. Cum Ammonitarum (cf. v. 19) in hac expeditione nulla fuit mentio, sed potius Syri suo marte sub proprio duce bellum gesserint, potuit Helam a Rabbath longius abesse, fortasse septentrionem versus

v. 18 « Fugeruntque Syri a facie Israel, et occidit David de Syria septingentos currus, et quadraginta millia equitum ».

Ita h. l. omnes; ubi illud mirum est, nullos occisis esse pedites. • 1 Par, 19, 18  
habet *septem milia currum, et quadraginta milia peditum*. • *Ios.* • *septem milia equitum, et quadraginta milia peditum.* Quod Syr. habet *quatuor millia equitum* (1 Par. *peditum*), falsum est, utpote quod nulla alia auctoritate nitatur; sicut etiam eiusdem h. l. *additum et populis multis, i.e. pedites.* Iam si superiores numeros conferimus cum his 8, 4, 5 et 1 Par. 18, 4, 5 qui ad idem proponunt videtur referri, habemus equites 1700 vel 7000, pedites 42000 (de Soba et Damasco), currus 1000. Ex quibus numeris omnibus inter se collatis probabile fit, in nostro textu primitus et equites et pedites et currus scripto fuisse; notandus 8, 4 numeros 1700, utpote qui vocem et *centum et mille* in se continere, quemque ortum coniucio ex 700 (cf. 8, 4; 10, 18) et 1000 (10, 18; 1 Par. 18, 2; 2 Reg. 8, 4), equitibus ss. et curribus. Hinc textus primitus fortasse hic fuit: *וְהַלְלוּ בְּשִׂיר וְבָרֵבָרִים אֶת־אֱלֹהֵינוּ שְׁבַע־חֳנֻכָּה* septingentos equites, et mille currus, et quadraginta milia peditum. Hostibus primo impetu disiecti, equitatus vere tota fuga se subduxit, currus equitibus minus expediti mille capi sunt, pedestres copiae fere totas interfecerunt sunt,

« Et Sobach principem militiae percussit, qui statim mortuus est ». v. 19 « Videntes autem universi reges, qui erant in praesidio Adarezer », i. e. qui cum praesidem sequebantur, eius tributarii, *Hebr. servi Adarezer*, « se victos esse ab Israel, (expaverunt, et fugerunt quinquaginta et octo millia coram Israel). Et fecerunt pacem cum Israel, et servierunt eis », tributum pendentes, « timueruntque Syri auxilium præbere ultra filii Ammon ». Quae uincis includimus, sola habet *Vulg.*, non sunt tamen *S. Hieronymi*; unde petit sint, nescimus (*Verc.*).

B. Peccatum David eiusque sequelae 2 Reg. 11,1-20,26.

Promiserat Deus, se Davidi aedificaturum esse domum, cum ecce David infando scelere propriam dominum desecrat. Placatus per poenitentiam Deus promissa implere agreditur. Non potest tamen Dei aedificatio profanato superstru fundamento : unde nascitur Salomo aedificaturus templum Deo, et promissionum David haeres futurus, dum Amnon et Absalom misere intereunt. Hinc narrationis tres discerne partes : cap. 14 Davidis peccatum, cap. 12 Davidis reconciliationem, cap. 13-20 peccati sequelas.

#### 1) Peccatum David 2 Reg. 11, 1-27.

ARG. — Exercitu contra Ammonitas dimicante, David Hierosolymis cum Bethsabee adulterium committit; Iuriam e castris revocatum pri-

mum, ut uxore utatur, inducere conatur, tandem in castra remissum hostium telis interimi curat; mortui uxorem dicit atque ex ea filium suscipit.

*Greg.* (76. 687) : « Ad hoc in scriptura s. virorum talium, i. e. David et Petri, peccata sunt indicata, ut cautela minorum sit ruina maiorum; ad hoc vero utrumque illic et poenitentia insinuator et venia, ut spes pereuntium sit recuperatio perditorum. De statu ergo suo David cadente nemo superbiat, de lapsu etiam suo David surgente nemo desperet ». *Theodoret.* hac historia demonstrari affirmat, quantum valeant afflictio et labor : qui Saulle insequente sapienter se gesserat, qui in acie existens ex legibus divinis vitam administraverat David, idem otio diffluens in nefarium scelus prolapsus est. « Negotium Davidem fecit castum, otium adulterum » (*Lap.*).

*Cap. XI v. A «Factum est autem vertente anno, eo tempore quo solent reges ad bella procedere, misit David Iob, et servos suos cum eo, et universum Israel, et vastaverunt filios Ammon, et obsederunt Rabba; David autem remansit in Ierusalem».*

Vertente anno, ad literam revertente (Hebr. Syr.), ergo non sub finem anni (Chald. Arabs.), sed sequenti anno (ita ad 1 Par. 20, 1 LXX Syr.), anno secundo (Arabs. b.), post annum circulum (Vulg. ib.), et quidem eius anno initio seu "vertente vere" (Jos.). Initium anni, qui mense Nisan incepit, tempus erat, quo reges ad expeditiones bellicas prodire conseruerant : *Hebr. tempus egressionis regum* (*kethib hebreus* legati ab omnibus versionibus confundit). Intelliguntur autem reges eorum regionum quilibet, non soli reges Soba, Istob etc., uti suggester *P. Ille.*, immo principiatus reges Haboracorum. — Quæritur iam, unde illa annus computetur. Censem *Hil.* computari a 10, 14, ubi narrantur Ammonitae intra urbem Rabbath esse repulsi. Soluto pendet ex quaestione, fuerintne, quea 10, 15-19 narrantur, gesta eodem anno ea ea, quea 10, 6-14 habentur; videtur gesta esse anno sequenti, opus enim habuit Adarezer aliquo tempore spatio ad suorum animos erigendos et Transseptentriones ascedentes. Quae vera cap. 11 narratur, utique posteriora fuere 10, 15-19 narratis: nam cap. 11 describitur *ultima contra Ammonitas expeditio*, destructione urbis principis 12, 29-31 concludens, dum expeditio 10, 15-19 relata ruinam Ammonitarum praecessit, uti sequi videtur ex v. 19: "tumuerunt Syria Ammoniam praeberre ultra filios Ammon." Hanc esse in initio David 10, 17 directix, illam ab initio loab. Dicimus ergo cum *Calm.*, quia cap. 11 narratur, gesta esse "post annum a bello Syriaco" (secundo) et vermanni tempestate". — Quæritur, qui intelliguntur *seri regis Thera*. servos putat intelligi eos, qui constanter arma gerabant, dum reliquias populus necessitate solum urgente ad arma vocabatur; vel servos centuriiones, populum gregarios milites, quae altera exposito fundamento caret. Servi regis 10, 2 ii sunt viri, quibus rex utitur legis: *idem 15, 14, 16* alio nomine *domus regis* appellantur, et v. 18 a Cerehis, Phelethitis et Gethaeis distinguuntur. Videtur intelligi Israëlitae regiae familiæ adscripi, et quidem h. l. bellatores potius quam consiliarii.

v. 2 e *Dum haec agerentur, accidit, ut surgeret David de strato suo post meridiem, et deambularet in solario domus regiae, vidiisque mulie-*